

## Catullus 63.40 atque obiter Ennius

Scrīpsit Konrad Kokoszkiewicz  
*Uniwersytet Warszawski*

Versus Catul. 63.39–42 sic uulgo imprimuntur<sup>1</sup>:

*Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis  
lustrauit aethera album, sola dura, mare ferum, (40)  
pēpulitque noctis umbras uegetis sonipedibus,  
ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit;*

Cuique fere nomini substantiuo attributum hic respondet, quorum omnia aut communia uidentur aut ornantia:

- \* Solis oculi radiant, os est aureum, sonipes uegetus
- \* aether albus
- \* solum durum
- \* mare ferum
- \* umbra noctis
- \* somnus fugit citus

Nihil enim, exempli gratia, communius uidetur quam mare minax, horridum, horribile, truculentum ferumue dicere; nihilque otiosius de terra, quam duram appellare.

Sed enim unum in his omnibus uidetur insperatum: album esse aethera. Aether idem est quod caelum, ut ait Pacuuius (Pacuv. fr. 36.3)<sup>2</sup>: *id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera*, aut Cicero (Cic. *ND* II 41)<sup>3</sup>: *astra, quae oriantur in ardore caelesti, qui aether uel caelum nominatur*; et idem alio loco (Cic. *ND* II 101): *ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus, qui idem aether uocatur*. Itaque uiri docti<sup>4</sup> album caelum defendendi gratia Caesarem et Vergilium conferunt, quorum prior in commentariis belli ciuiliis (Caes. *BC* I 68)<sup>5</sup>: *Caesar, inquit, exploratis regionibus albente caelo omnes copias castris educit*, alter uero in Aeneide (Verg. *Aen.* IV 586)<sup>6</sup> *primam albescere lucem* scripsit. Tamen uterque de prima luce scribit, hoc est eo noctis tempore, cum sol nondum ortus ipse quidem latet, sed caelum nocturnum iam ita illuminatur, ut e nigro album fiat, id est albescat. Quod omnino naturale uidetur. Hic autem aether, hoc est caelum, albus dicitur iam post solis ortum, quod ineptum uidetur, nam nec color est caeli (quod sole orto caeruleum est non album) nec de more aliamue ob rem sic a poetis usurpatur.

<sup>1</sup> C. J. Fordyce, *Catullus*, Oxford 1961

<sup>2</sup> *Poetarum Romanorum ueterum reliquiae*, ed. E. Diehl, Bonn 1911

<sup>3</sup> *M. Tullii Ciceronis scripta quae manserunt omnia*, fasc. 45, ed. W. Ax, Lipsiae 1933

<sup>4</sup> ut R. Ellis, *A commentary on Catullus*, Oxford 1889, p. 268, quem Fordyce sequitur in op. cit. p. 267.

<sup>5</sup> *C. Iulii Caesaris Commentarii*, vol. 2, ed. A. Klotz, Lipsiae 1982

<sup>6</sup> *P. Vergilii Maronis opera*, ed. R. A. B. Mynors, Oxford 1972

Epitheton, quod hic desideratur, non „albus” est, sed „altus”, quod ad caelum recte pertinet et crebro adhibetur in litteris<sup>7</sup>; sic ergo legi malim:

lustrauit aethera altum, sola dura, mare ferum, (40)

Tale litterae delictum potest, credo, fieri cum librario dictatur.

Similiter fortasse et alia in aliis locis corrigenda sunt quae alba dicuntur, licet proprie altiora quam alba uideantur. Quod mihi exemplo in mentem uenit, uersus est ex Ennii Annalibus (Enn. *Ann.* I 84 Skutsch)<sup>8</sup>: *interea sol albus recessit in infera noctis*, ubi item „altus” legendum uidetur – ut in his Ouidii locis (Ov. *Met.* II 417)<sup>9</sup>: *ulterius medio spatium sol altus habebat* et (Ov. *Ep.* 8.105)<sup>10</sup>: *cum tamen altus equis Titan radiantibus instat* – praesertim cum post tres uersus idem Ennius solem aureum, non album, appellet.

<sup>7</sup> aether: Germ. *Ar.* 423; Luc. VII 447; VII 839; Manil. I 286; Ov. *Met.* I 80-1; II 204; III 298-9; IV 623; X 720; *Fast.* II 131; Sen. *Her. F.* 1054; *Phaed.* 965; Stat. *Theb.* VI 581; X 73; Verg. *G.* III 358; IV 78-9; *A.* IV 574; VI 436; VII 25; IX 644; XII 181-2. caelum: Manil. I 118; I 728; IV 817; Ov. *Am.* II 11.55; *Met.* IV 664; *Tr.* I 3.71; Stat. *Theb.* II 134-5 etc. etc.

<sup>8</sup> Q. Ennius, *Annales*, ed. O. Skutsch, Oxford 1985

<sup>9</sup> *Metamorphoses In Two Volumes*, edd. F. J. Miller et G. P. Goold, Cambridge 1977

<sup>10</sup> *P. Ovidius Naso. Epistulae (vel Heroides)*, edd. G. Showerman et G. P. Goold, Cambridge 1977